



ЖИТИЕ И ПОСЛАНИЕ СВЯТЫХ РАДИСЛАВА И РАДИСЛАВНЫ

СВЯТЫХ РАДИСЛАВА И РАДИСЛАВНЫ



Радиславъ и Радиславна... житие и послание...
...иже быша в то время...
...иже быша в то время...

61

RECTOR ACADEMIÆ LIPSIENSIS.



Uo sunt summi ac præpotentis DEI beneficia, quæ homini secundum verbi sui notitiam contingere possunt multò maxima; *ἡ μακροβιότης*, hoc est, *vivacitas sive vitæ diuturnitas*, & *ἡ εὐδαιμονία*, vitæ diutissime transactæ placida depositio. Utrumq; horum divinâ voce prædicatur in sacris literis undiq; & pro pietatis præmio atq; remuneratione amplissimâ assignatur. Quemadmodum autem robur & forma commendant atq; ornant teneram ætatem: Ita graviolem caritatis, quæ prudentiam, affectuum moderationem atq; auctoritatem conjunctam habere solet, ut non immeritò *cano capillitio*, vel etiam *Syracide* præcipiente, assurgatur, atq; illi honor & cultus reverentiæ, tanquam pietatis, virtutis & æquitatis constituto trophæo, ab omnibus exhibeatur. Nec est profectò ulla ægritudo, quæ senilis ætatis decus minuere, aut ipsam ætatem ingratiorem reddere possit; nec ulla est morborum sive incommodorum species, quæ senectuti adherere putatur, quæ non simul etiam juventutem invadere atq; opprimere possit. In qua re tamen senectus hoc habet commodi, ut à variis vitiis libera, quibus Juventus obnoxia est, incommoda sua moderatius sufferat, atq; in animo, jam ætate atq; experientiâ confirmato, minùs sentiat perturbationum, piæ devotioni operata magis. Quin & placidâ plerumq; senes extinguuntur morte, & tanquam suavissimo somno confopiti deficiunt; cum florenti ætati illa accidat violentior, & propterea soleat esse gravior atq; acerbior, secundum *Themistii*, Græci Philosophi, sententiam;

Καταγωγὴ ἡ εὐκλείης ὁ γρηγορικὸς θάνατος;
Senilis est mors corporis solutio,

ἡ ἐκβολὴ δὲ καὶ ναυάγιόν ἐστι τῶν νέων. id est,
Sed mors juvenis spiritus ejection est.

Horum beneficiorum utrumq; divino munere adeptus est, rarissimâ senectute venerabilis, meritisq; in Rempubliam Lipsiensem gravissimus, *Dn. Johannes Grünwaldt*, ex Ordine Senatorio hujus loci primus, cui hodiernâ die, Christiano ritu, sepultura paratur. Natum accepimus *Dresda*, die purificationis Mariæ, anni ultra communem vitæ humanæ terminum longè transpositi, supra millesimum, quingentesimum, quadragessim; Patre quidem, viro quondam amplissimo & experientissimo, *Dn. Blasio Grünwaldt, Div. Georgii, Heinrichi, Mauriti & Augusti, Ducum ac Electorum Saxonie* Excellentissimorum, pienssimæ recordationis, *Archiepiscopo*, qui & ipse memorabili vitæ diuturnitate à DEO fuit ornatus, ut ad annos eam septem & octoginta, in moderatâ & tranquillâ quiete, extenderit; Matre verò honoratissimâ fœminâ *Elisabethâ*, viri olim spectatissimi, *Dn. Johannis Hutteri*, Senatoris hujus urbis ædilitio munere conspicui, & templi Thomani Præfecti filia. Ab hisce parentibus piè denatus statim ab ineunte ætate, piè, honestè & liberaliter educatus, studiisq; liberalibus adhibitus fuit, in quibus etiam tantum profecit celeriter, ut anno decimo ætatis, maturo parentum suorum consilio, in *Scholam illustrem Misnensem* ablegatus, & Rectori tùm temporis viro, de totâ Republicâ literariâ summè merito, *Dn. Georgio Fabricio*, cujus laus suo tempore viguit, nec serâ huic posteritati obscura esse potest, diligentissimè commendatus fuerit. In hoc autem ludo ita versatus est piè defunctus ut intra *Sexennium*, (quod tempus alumnis ibi viventibus publicâ auctoritate definitum ac præscriptum esse novimus,) prima artium & linguarum fundamenta benè & egregiè poneret, & ad parentes demum reverteretur, anno supra millesimum, quingentesimum, quinquagesimo sexto. Cùm verò post reditum suum in patriam, dato nomine apud *Rectorem universitatis*, receptus fuisset in numerum civium Academicorum, statim animum adiecit ad lectiones publicas, & manu ductione usus virorum tùm temporis in Academiâ summorum, *Dn. Joachimi Camerarii, VVolfgangi Harderi, & Francisci Krammii*, eas in studiis humanitatis fecit progressiones, ut examinatus aliquoties, dignus iudicatus fuerit, qui primam in Philosophiâ lauream pensaret. Factum id erat, anno Christi supra millesimum, quingentesimum, quinquagesimo octavo, circiter annum ætatis suæ decimum octavum, ubi paulò post *Dresdam* abiit, & tempore *Divi Augusti, Electoris Saxonie*, optimæ recordationis, augustissimi, in *Cancellariâ* ibidem, per integrum fermè triennium, *scribæ officio* functus est, eâ quidem fide & industriâ, ut si diutius ibi permansisset, ad alias functiones honoratiores, addito tempore, sine dubio, evectus fuisset. Verùm enim verò semel sibi apud animum proposuerat ἡ μακροβιότης, quod exteras etiam regiones invisere, & peregrinationibus notitiam & experientiam aliquam rerum, ad vitam hanc melius degendam, necessariorum, comparare vellet. Quare commigravit anno supra millesimum, quingentesimum, sexagesimo primo, ad *Civitates Hanseaticas*, & eâ occasione tandem ingressus est *Daniam*, ubi exorto bello, inter *utrumq; Regem Danie & Suevia* serenissimum, miles factus, per triennium, sub exercitu *Danico*, castra secutus, & sæpius terrâ mariq; in summum vitæ discrimen adductus fuit. Quamquam verò exacto illo triennio, quo militiam securus erat piè demortuus, suavis & hortatu *Dn. Christophori Hermanni*, Civis ac Mercatoris quondam Lipsiensis, missionem honestam impetravit, peste tum temporis sævissimè grassante in *Daniâ*, & parentum suorum consilio obsecutus ille *Lipsiam* reversus fuit, anno supra millesimum, quingentesimum, sexagesimo quarto. Iterum tamen ex consensu & permissu parentum suorum, post annos duos in *Ungariam* eques abiit, & ibi annum egit in armis, diu permansurus in statione istâ, nisi certis à parentibus revocatus fuisset. Quod ad conjugium *τὸ ἐν ἀγίοις* attinet, nuptias iniit, cum viduâ honoratissimâ *Elisabethâ*, prædicti *Dn. Christophori Hermanni*, aliâs oriundâ ex familiâ *Schönbergorum* in hac urbe satis notâ, anno videlicet supra millesimum, quingentesimum, sexagesimo septimo, die M. Februar. undecimo, ex qua conjugio divinâ benedictione suscepit *liberos tres, duos filios & unam filiam*; quorum ille natu maximus *Dn. Johannes Grünwaldt, Medicinæ Doctor*, anno supra M. DC. XVI. die XX. M. Novembr. *VVittenbergæ* in cœlibatu vitam finiit; alter verò *Christophorus* à literis ad Mercaturam se transtulit, & in conjugio, quo anno supra M. DC. XI. die M. Junii tertio, sibi conjunxit virginem *Gertrudin*, viri eximii & prudentissimi *Dn. Heinrichi Rotheupts / hereditarii in Zehmen* / & Civis ac Senatoris hujus urbis relictam filiam, *Dn. parentem grandævum* reverenter coluit & observavit, ejusq; curam summam & fidelissimam habuit; filiam deniq; *Elisabetham* elocavit piè defunctus, viro quondam Amplissimo & Consultissimo *Dn. Luca Becmanno J. U. D. & Professore in Academia vicina VVittenbergensi, nec non Consistorii, Curie & Scabinatus ibidem Assessori, & sanctioris illius Judicii, quod appellationū vocant, Consiliario, &c.* An. supra millesimum, quingentesimum, septuagesimo quarto, lectus est in *Ordinem Senatorium* hujus Reipublicæ, cui fideli Consilio atq; operâ plurimum inservivit totos annos LIV. & præter cætera, quæ pro ratione temporis ipsi commissa fuerunt, Judicis officium bis sustinuit, & præclare laudabiliterq; gessit. In reliquâ vitâ pietatem, ut notum est omnibus, religiosè in primis coluit, & verbo cœlesti sincero & incorrupto addictus ab ineunte ætate, illud frequenter audivit, in publicis conventibus Ecclesiasticis, à quibus etiam in eâ grandævitate, quoties per valetudinem fieri potuit, abesse noluit, ut membrum fidele & constans Ecclesiæ Christianæ se ostenderet, & ex auditione verbi & usurpatione Cœnæ Dominicæ, fidem in Redemptorem Christum Jesum, virtute Spiritus sancti accensam, corroboraret, seq; quotidie ad beatum ex hac vitâ ærumnosâ discessum præpararet. Cùm autem imbecillitas virium, quæ κατὰ φύσιν senibus oboriri solet, & nullâ arte restitui potest, indies magis magisq; invalesceret, ipse quoq; non solùm domi se continere per biennium fermè necesse habuit, sed interea etiam diu exoptatam analysin precibus & suspiriis ardentissimis à DEO efflagitavit, jam satur annorum, & pertæsus vitæ hujus incertæ & languidæ, ejusq; incommodorum multiplicium, quæ senectutem maximè consequuntur; quam tandem obtinuit proximo die Veneris, post septimam vespertinam, confopitus placidissimè, ex marasmo potius senili, quàm ullo alio morbo peculiari, anno ætatis suæ octogesimo nono, termino vitæ profectò commemorabili, & qui è multis millibus vix uni contingit, postquam die Lunæ antè iterum, ut & aliâs sæpissimè, salutari viatico sacratissimi corporis ac sanguinis Christi, Redemptoris sui, ad beatam se ἀνάλυσιν præparasset. Anima jam est in manu ac protectione altissimi, corpus verò exanime ad sepulturam hodie efferetur, horâ tertiâ pomeridianâ. Jubemus igitur ac mandamus universis ac singulis Jurisdictionem nostram agnoscentibus, ut dicto tempore ad ædes piè defuncti, in plateâ à *Catharina* nomen habente sitas, frequentes conveniant, & hoc ipsum funus piè nobiscum ac religiosè prosequantur. Quæ in re facturus unusquisq; est, quod Christiana caritas & Ordinis nostri decus requirit. Et nostrum insuper studium illâ humanitatis significatione relicti hæredibus ac liberis, & ut par est, totî familiæ honestissimæ declarabitur. PP. XVII. M. Junii Anno Christi M. DC. XXVIII.

L I P S I Æ, Excudebat GREGORIUS Ritsch.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text]

[Faint, illegible text]

[Faint, illegible text]

[Faint, illegible text]





